



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 250. Et cum iam sero esset factum. v. 42.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

Christe Iesu tu es corona Virginum, quia te sequuntur quocunque iens,
te singula riter amat deuotus fæmineus lexus & colit. Ita prophetatum
de te in psalmo Adducentur Regi virginis post eam (scilicet Mariam
primam voto castitatis perpetuæ tibi obstrictam) proximæ eius adducentur
tibi. Ecce quod psalmista prædixit, in Evangelio, impletum lego, glori-
fico igitur te ô veritas sancta, quæ hæc quoque hodie in Ecclesia Romana
verum esse demonstras.

§. 250. Et cum iam sero esset factum. v. 42°

Duplici sensu, nimirum in Horizonte Ierosolymitano, in quo sol ad
occasum vergebat; & in vniuerso mundo in quo iam princeps mundi vi-
ctus, incipiebat sentire se esse victum, cum iustitiae sol, de cœlo Christus
Deus noster, occubuisse per mortem & ad inferos descendisset, expon-
lians potestates. Sane valde sero erat, & haud dubie ringebant & freme-
bant dæmones quod ipsi met per suas suggestiones, & immisionem in cor
Iudeæ, & manus & ora Iudeorum ac gentilium seruorum suorum sibi hoc
malum inflixissent, & occidendo iustum, in quem non habuissent potesta-
tem, omnes una forte amisissent subiugatos. Sane sero sapiebant, & sero
erat valde.

Deus meus, gaudeo & gaudet omnis chorus fidelium, quod superbis
simos spiritus ita dextre de potestate sua eieci, ut ipsi adiuuarent
strenue te in eo bello in quo essent vincendi, ita ut in omni sua astutia, ag-
nouerint, sed Iero, se esse prostratos. Tu es igitur Triumphantor in Israël, tu
es victor inferni. Salve festa dies, toto venerabilis ævo, qua Deus infernum
vicit & astra tener,

§. 251. Quia erat parasceue. v. 42.

Iam dixerat tempus physicum diei, & morale, in quo occubuit vin-
cens Dominus, iam indicat & diem mortis Christi & depositionis è cruce
& sepultura nempe diem Veneris seu Feriæ sextæ, ea enim erat Parasceue
Sabbati, qua preparabant Iudei quæ sabbato opus erunt, & in ipso sappa-
to agere vel tractare non licebat. nam parasceue, verbum est Græcum, sig-
nificans Latine præparationem, quo nomine vtebantur & Iudei qui inter
Græcos morabantur. Quia ergo sexta die homo factus est, septima autem
die conditor ab omni opere suo requieuit, recte Salvator sexta die cruci-
fixus humanæ restorationis impletuit arcanum. Sabbatho autem in sepul-
chro quiescens resurrectionis quæ octaua die ventura erat, expectabat e-
uentum.

Deus